

1187

I CODICES I

1188

nico exarati, in quibus deprehenditur ספר קיטת סליק, et novum Initium: דברי קהלת כל מקום על דברי &c. legimus CCCCXCVIII.

U. 302 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 339. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricis notatus, et, ut loquitur frons, inter viuos Collegio Ducali *Wienne* cum 17. aliis donatus a *M. Andrea de Weytra* jam alias memorato continet idem *Scriptum Quartum*, monente tamen Titulo: usque ad materiam de matrimonio. Itaque cum *Dist. XXV.* terminatur Codex, cuius finem facit *Expositio Textus*, quam, ut solet, *Quaestionibus* praeposuit Editor *T. cit.* p. 450. Neque ex his aliquem in clericatus honorem subrogari &c. Adjecta est *Distinctionum et Quaestionum Tabula.*

CCCCXCIX.

U. 422 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 147. f. per duas columnas fat nitide, sed multis vocum compendiis, ut Scholasticorum mos, scriptus et rubricis enotatus, olimque a *Thoma de Haselbach* Ducali Collegio legatus, est, ut e calce adsumo, *Liber tercius fratris thome ordinis predicatorum*, id est, *Scriptum eius in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi*, cuius ingressus: *Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant. Eccl. I. Ex verbis istis duo possumus*

accipere &c. et finis: quibus ad vitam peruenitur eternam (deest in Edit.) in qua (Ed. cum Christo) uiuamus per omnia secula seculorum. Amen. Accedit *Distinctionum et Quaestionum Tabula.* In Edit. *Paris. 1660.* Commentaria haec *T. IX. f.* constituunt.

Ad conuestiendum utrinque Codicem adhibita est membrana cuiusdam Collectionis *J. Can.* eleganter exarata, in qua occurrunt Rubricae *De emunitate ecclesie cimiterii rerum ecclesiasticarum. Ne clerici uel monachi secularibus negotiis se immisceant. De clandestina desponsatione. De sponsa duorum* cum *Glossa marginum.*

Codex membraneus lat. Sec. U. 423 XIV. Folior. 156. f. pariter per duas columnas sed luculentius exaratus, coloribus distinctus, et eidem Collegio donatus a *M. Nicolao de Dünkelspühl*, idem *Scriptum* continet, in cuius fine habetur *uitam eternam, et cum Christo.* Subiuncta est etiam *Tabula.* In littera capitali *A* Miniator ignorans *Thomam* veste *Ordinis Minor.* induit.

CCCCI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 426 XIII. exeuntis, Folior. 167. f. per duas columnas nitide, non una tamen manu exaratus, coloribus distinctus, et a celebri nostro *T. D. Nicolao de Dinkelspuchel* Collegio Ducali legatus exhibet *Bonaven-*